



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Fasti Mariani

Brunner, Andreas
Pfeffer, Wilhelm

Antverpiæ, [1659 erschienen] 1660

S. Maria Ægyptiaca. 9. Aprilis.

urn:nbn:de:hbz:466:1-42032

S. MARIA ÆGYPTIACA. 9. Aprilis.

Avdite omnes apud divinum tribunal rei. Patronam si MATREM Iudicis habetis, causam peractam habetis. Certè causâ laboravit illa MARIA, cui nomen Ægyptus dedit, & tamen hâc non cecidit, ubi melior MARIA peroravit. Quid enim nominis illa sui oblita, ut voluptati litaret, pudorem non venalem, sed gratis omnium libidini exposuit: quin festo Exaltatæ Crucis die, cum Hierosolymam Orbis conflueret, ausa est velle ibi infanda Veneris sacra publicare. Sed molientem ter pedem impurum templo inferre, ter repulit vis arcana. Quid MARIA? ad MARIAM? abijt. quid agis misera? Veneri patrocinari uis Virginem? O quid apud MATREM non possunt lacrimæ? quid non lac MATRIS apud sanguinem potest FILII? orat illa; exorat iste: absolvit Iudex admissam, quam absentem damnaverat. Sed audite poenitentem, qui peccantem inspicitis. VI. annis supra XL. eluit lacrimis feras inter, quidquid inter homines peccaverat, semper oppugnata ab Orco, semper victrix, VIRGINIS auxilio, nulli hominum nisi Zosimo visa. Is divino ductu ad eam venit, & vitæ seriem, quam dedimus, audivit; cum sacro deim epulo revisit, quod ut caperet MARIA, per Iordanem sicco vestigio advolavit. Ita puram cum undæ jam probassent, secundo redûx defunctam in arena offendit: anxio verò de sepultura leo supervenit, & fossam unguibus dedit, æternum non tam poenitentis, quàm miserantis MARIE monumentum. Ex vit. PP.

Si criminum immanitate turbatus, si conscientie scditate confusus, si iudicij horrore perterritus, si
bara-

*baratho desperationis absorptus es, Mariam cogita
Mariam invoca: non recedat à corde, non recedat
ab ore. S. Bern. serm. sup. Missus,*

S. MACARIUS PATRIARCHA.

20. April.

MACARIUS Armenus Patriarcha Antioche-
nam sedes beavit, sed multò magis paupe-
res, quos unus ille domini Palatinos, foris anteam-
bulones habuit. Ob id, & quæ jam tunc patrabat
mira, ne in ore omnium esset, omnium oculos fu-
git, & sub quo lateret ignobilis, sepulchrũ Christi
petiit. Sed Saracenorum scelere ad ipsa ossa usque
lacera virtus -, & tribus clavis pavimento affixa,
pressaque pectus ignito saxo, ut ferè solet, se ipsa
prodidit: prodidere Angeli in auxilium missi,
ipsique jam hostes MACARIUM, & quod caput
est, in MACARIO DEVM agnoverunt. Interea pa-
rentes suum esse dedecus arbitrati, orbam filii in-
fulam filiumque exulem videre, mittunt, qui aut
verbis, aut vi adducant. Et jam parabant hanc illi.
Sed cælo pugnante capi oculis manibusque, quas
ad facinus extenderant, MACARIO se dediderunt.
Hic cruce, quæ illi scipionis loco serviebat, ocu-
los & manus reddidit, itaque expeditus exul or-
bem deinde pererravit, Bojariæ quoque hospes,
demum Gandavum in Flandriam pervenit, reli-
ctis ubique symbolæ loco ingentibus miraculis,
quæ unico suo scipione dedit cruce insignito.
Flandriam cum dirissima lues popularetur, sese
cum gemino socio vicariam urbis victimam mor-
ti objecit, A morte geminum circulũ cæli osten-
derunt & crucem in altero, ut sciremus, quò crux
scipio illum abduxisset. Sed nũmne **M A R I A M**
Amavit?